

tum Sanctum vel a Spiritu Sancto, quia omnis indulgentia sive remissio peccatorum per Spiritum Sanctum fit. A quibus *mundum?* subauditur: a vitiis et peccatis. Ita distinguenum est. *Ex consuetudine*, i. e. per consuetudinem. *Vitium et peccatum* quamvis ad unum finem veniant, tamen *peccatum* pertinet ad unum, *vitium* autem ad consuetudinem. Explicit de XII gradibus.

## Cap. VIII.

## DE OFFICIIS DIVINIS IN NOCTIBUS.

Apte et congrue B. Benedictus, postquam dixerat mortificationem interioris hominis et compositionem exterioris, h. e. consuminationem scalae, nunc de officiis divinis subjungit, quia illud officium divinum est Deo acceptum, quod ab hujusmodi viris fit, i. e. qui in duodecimo humilitatis gradu consistunt, quia sicut propheta dicit: *Non est digna laus in ore peccatoris*. Et iterum psalmista ait: *Peccatori autem dixi: Quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meam per os tuum, tu vero odisti disciplinam et projecisti sermones meos post te? sive videbas furem, simul currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas; ns tuum abundavit nequitia, et lingua tua concinnavit dolium; sedens adversus fratrem tuum detrahebas, et adversus filium matris tuae ponebas scandalum. Haec fecisti, et tacui*. Et bene, cum dixit *de officiis*, subjunxit *divinis*, quia sunt et alia officia, quae non sunt divina. Ad separationem quippe aliorum temporum subjunxit *in noctibus*; nam sunt; et alia officia diurna, i. e. quae inferius dicturus est. Officiorum vero, sicut Isidorus dicit,<sup>1)</sup> plurima genera esse noscuntur, sed praecipuum illud est, quod in sacris divinisque rebus habetur. Sed quare dicatur officium, B. Ambrosius in libris, quos de officiis, i. e. de moribus humanae vitae scripsit, dicit hoc modo: *Officium ab efficiendo dictum putamus quasi »efficium«; sed propter decorem sermonis una immutata littera »officium« nuncupari, vel certe ut ea agas,*

<sup>1)</sup> Etymolog, lib. 6. cap, 19. n. 1.